

49

VOTIVA
ACCLAMATIO,
Qua
SOLENNEM
NUPTIARUM FESTIVITATEM,
PARIS novorum Conjugum lectissimi
NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

DN. JOHANNIS
WILMSONII,

Notarii Cancell. Elb. Reip. Spectatissimi
SPONSI,

Et
MATRONÆ VIRTUTIBUS SUI SEXUS
ORNATISSIMÆ,


DOMINÆ
ELISABETHÆ
natæ LANGIÆ,

VIRI
QUONDAM SPECTABILIS ET INTEGRIMI
DN. HENRICI JACOBSONII,
Communicatis Civium Membri dignissimi,
RELICTÆ VIDUÆ,
SPONSÆ,

Latabundus veneratur
GEORGIUS HEINRICUS NESSELMANN,
An. 1718. die 6. Septembris.

ELBINGÆ,
Typis SAMUELIS PREUSSII.

49



Lux optata veni, lux quam pia vota
coronant,
post luctum lætos quæ facis alma
veni.

Lux optata veni, fama celebranda
perenni,
felicis lucis quæ paritura jubar.

Lux inimica malis, quam nil temerare molesti,
aut unquam tristis forsve cladesve queat.

Lux at amica bonis, læto dicenda clienti,
de sacris tædis egregie apta cani.

Diffundens radios adsis felicior, umbram
tristitiæ, noctes & tenebrosa fuga.

Fausta Pari advenias lecto, quod candida virtus
commendat, sancto foedere jungit amor.

Concordi quondam thalamo ceu Sara refecit
Tharaiden, Summo sic moderante DEO.

Ceu sanctum Abramiden, cælo monstrante, beavit,
Solamenque mali casta Rebecca fuit.

Sursum animos! Fatove Stoæ, fortive dolosæ
talia conjugii vincla dicare cave.

Nam-

Pol. 8. III. 699/a / Estn, -



Nec quispiam miltitros ... os debet

Namque humanarum semper velut omnia rerum,
Sic & divinis legibus ista fluunt.

Quisque suæ merito vitæ faber esse putatur,
tantum aberit, quenquam ut condita fata trahant.

Fausa nec amoto nutu Rectoris oberrant,
nec fit fortuito, si lacrymosa cadunt.

Nequaquam! verum sublimis in æthere Rector
ponderat æqua animum factaque lance tua.

Hic cumulare bonis, pretio si digna patrata:
Hic punire malos, si malefacta, solet.

Grata Deo virtus, aufert pietasque brabeum,
prospera quæque bonis esse tributa pater.

Præmia sic certum est justis cœlo esse parata:
Quanta satis nunquam dicere lingua queat.

Nec pro infinita satis hoc bonitate videtur,
virtuti æternum retribuisse bonum.

Addit & æternis Deus hic auctaria donis,
quæ summo novit non nocitura scopo:

Successu rerum felici ut gaudeat ille,
cui verum curæ sit coluisse Deum.

Quid dicta inductis aliis firmare necesse?
WILMSONI exemplum cum probet illa tuum.

Te pietas tenerum primis formavit ab annis,
hac sacra Castalidum culta fuere duce.

Innocuusque sibi Te prædicat esse dicatum
Candor, & immotæ rectus amor Themidos.

Et

Et præterlapsi quoties quis temporis annos
 mente sua reputat; laus tua ubique patet.
Quodque usus Summo semper Ductore fuisti,
 adfuit & cœli provida cura Tibi.
Numinis atque vigil semper custodia Sancti
 tutam Te vitæ jussit habere viam.
Conjugio tribuit præprimis esse beatum,
 quod summam vitæ prosperioris habet.
Quod nostrum est, animo vestris applaudere tædis
 tam justum duco; quam pia jura jubent.
Exiguos versus tenuesque haud Sponse recuses,
 carmine nec spreto Te, rogo, penna gravet.
Nam bene apud memores veteris stat gratia facti;
 jam signum grati prodere vota volunt.
Vivite felices, per longaque secla beati
 & domus & fidæ dulcia membra domus.
Vivite concordēs, absint & tristia quæque
 à laribus vestris; vitaque paxque beent!
Sic precor; auspicio fiant ut singula fausto,
 Omnipotens votis annue, Christe, meis.

